21

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

TYMPANITE,

Von der Windsucht/

QUAM

FAVENTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA AC PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA,

SUB PRÆSIDIO

DN. D. JOANNIS ANDREÆ FISCHERI,

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECT. MOGUNTINI, FACULT. MED. DECANI, ET SENIORIS SPECTABILISS. PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. ORD. NEC NON MEDIC. PROVINC. DUCAL. ISENAC.

PATRONI AC PROMOTORIS SUI OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE ADIPISCENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

CHRISTIANUS Gottlieb Tzschaschel/

GÖRLICENSIS.

AD DIEM XXIII. SEPT. ANNI MDCCXIX.

IN AUDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS

HORIS CONSUETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.

VIRIS

Magnificis, Prænobilissimis, Amplissimis, Excellentissimis, Consultissimis,

INCLUTÆ REIPUBLICÆ PATRIÆ GÖRLICENSIS,

DOMINIS

DN. CONSULIBUS,
DN. PRÆTORI,
DN. SYNDICO,
DN. SCABINIS,
DN. SENATORIBUS,

Dominis Patronis omni honoris, amoris, ac observantiæ Cultu ad Cineres usq; colendissimis,

Dissertationem hanc Inauguralem in gratæ mentis tesseram, & summæ observantiæ documentum

Dat, Dicat, Dedicat

AUCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANUS Gottlieb Tzschaschel.



PROŒMIUM.



Uid Medicum commendet præcipuè, admirabilis ſenex noſter, pro ſua, qua nunquam non inclaruit ſinceritate, poſteritati ſequentibus revelavit fideliſſime: ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, i. e. Qui optimè cognoſcit, optimè curat: Ab hac enim decenter inſtituta cognitione pendet exiſtimatio, felicitas, fortuna Medici, ab eadem univerſa ægrotorum ſalus. Latè patet hæc requiſita Διάγνωσις, perfunctoria morborum cauſarumque ſcientiâ minùs comprehenſa, intimiori potiùs ſcrutinio eruenda. Præter id enim, quod Medicum Phyſica Experimentali haud leviter tinctum eſſe oporteat, requiritur accurata rei Anatomicæ, & ſtatus inde ſecundum naturam in Machina humana comparata notitia, quâ probè imbutus Medicus eo promptiùs ac feliciùs in morbis indagandis progredi valet, rectum enim eſt norma obliqui, & contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, nec non profundiſſima Materiæ Medicæ è triplici Regno petenda indagatio atque explo-

ploratio, Pyrotechnia Mediante & Pharmaciâ facta, ut omnibus probè perspectis & causis affectuum p. n. curatiùs erutis, eò citius judicari valeat, quod & quale remedium posito casu sit eligendum. Quam ardua verò res sæpe sit à via regia non aberrare, & in cognoscendis morbis, causis atque symptomatibus nihil non æqua lance ponderare, omnemque difficultatem superare, Medici probi atque cordati toto experiuntur die, & huc ipsum supremum Medicorum Principem respexisse censeo, quando *in Aphor. I. S. I.* κρίσιν vocat χαλεπὴν, *Judicium difficile.* Hoc verò in variis morbis observare licet, complicatis cumprimis & sensui non adeo obviis, in quibus Medici, si judicium de causis ferre debuere, diversi in diversas abierunt partes. Hinc Medicum decet admodum circumspectè semper procedere, atque anxie quærere, quò optimè cognoscat, quò optimè curet. Ut reliquos affectus p. n. quoad cognitionem æquè atque curationem admodum difficiles sicco; quod ajunt, pede jam prætermittam, Tympanitem considerans deprehendo, ratione causarum ejusdem diversas Autorum extare sententias. Quare omnem lapidem jam movebo, ut Tympanitem, quantum quidem fieri potest, è genuinis principiis eruam, conferendo statum naturalem cum præternaturali & ejus nomen, naturam, subjectum, causas, harumque connexionem cum effectibus, diagnosin, prognosin, curamque methodicam eliciendo. Gratia verò Divina in hoc negotio ex alto mihi benedicat & benignissimè largiatur, ut omnia succedant prosperè ac feliciter!

§. I.



Ydrops in universum affectus censetur molestissimus, gravissimis corpus humanum affligens symptomatibus, adeò ut non tantum à Veteribus, verum etiam Recentioribus pro morbo curatu difficillimo sit habitus, & paucos eo laborantes sanitati restitui posse creditum. Hinc Aretæus *L. 2. de sign. & caus. diut. C. 1.* hanc in rem notat seqq. *Hydrops injucundum aspectu vitium est, & toleratu difficile, ab ipso enim perpauci liberantur, idque felicitate quadam, ac Deorum potius quam artis auxilio:* Et Hipp. Noster COUS *l. de int. affect. de eodem affectu ait:* ἡ γὰρ νοῦσος χαλεπὴ καὶ παῦροι ταύτην διαφυγάνουσι: *Morbus* (Hydrops) *enim gravis est, & ex quo pauci evadunt.* Inter Hydropis species suo modo quoque refertur ab omnibus Autoribus Tympanites, de quo nostra epicrisis, an gravior reliquis Hydropis speciebus sit affectus, vel mitior, passim & præcipuè in prognosi inferius patescet. Jam vero constitutum est, in contumacis & periculosi hujus morbi naturam inquirere, & quæ ejusdem veræ causæ sint, quæque insuper perpendenda & enucleanda esse videbuntur, φιλιατρῶν ἐξετάσει paucis subjicere.

§. II.

Ordine ita exigente nomenclaturam præmittens tympanitem reor esse vocabulum origine Græcum, tympanites enim, sive τυμπανίτης, à τυμπανίζω, distendo, fustigo, flagello, & hoc ἀπὸ τοῦ τυμπάνου, à tympano, seu instrumento, quod fuste percutitur, cujus thema est τύπτω, verbero, derivatur, & inde quoque sic nuncupatur, quoniam perculsus venter tympani sonum edit. Synonymicè à variis quoque Excell. Auto-

Autoribus dicitur Tympanitis, ὁ τυμπανίας & tympania. Ab Hippocrate, Galeno, Fernelio, Alto Mari, Hollerio &c. Hydrops ficcus audit, à tumoris fimilitudine, quæ ipfi cum aqua inter cutem aliqua ex parte intercedit, denominatione defumta, quemadmodum Afcites ab utris fimilitudine appellatur.

§. III.

Nec vero eft, quod metuere velimus tympanitem inter hydropis fpecies collocare, ex eo, quoniam profectò in re ipfa ingens plane hìc exiftit differentia, tam à priori, caufarum & materialis conftitutionis veræ, quam à pofteriori Methodi medendi intuitu, ob quam non licet, quæ funt disjuncta, unico complecti termino. Nam licet ὕδρωψ, ὑδρώπισις, ὕδερος, ab aqua, ἀπὸ τοῦ ὕδατος dictus κυρίως feu proprie non fit alius affectus, quam ubi eft aqua p. n. collecta, tumoris caufa, ἀκύρως tamen & impropriè recte dicitur hydrops tympanites, nimirum cum Ettmullero *Operum Medic. Tom. II. p. 757. a.*) tantum propter aliqualem fimilitudinem tumoris cum afcite particulari, & quia rarò quoque absque aquarum aliquali colluvie contingit, eundem ad hydropes retulerunt & Veteres & Neoterici. Germanis redditur communiter, die Waſſerſucht, von welcher der Bauch wird wie eine Trummel. Et veniam me facile accepturum effe confido, quod ad differentiam in Titulo vocaverim, die Windſucht.

§. IV.

Si quidditatem tympanitis quæram, Celfus *l. 3. c. 12.* vocat hydropem, quum ventre vehementer intento creber intus ex motu fpiritus fonus eft. Juxta *Frambefarium p. 475. & Fernel. in Pathol. p. 307.* eft abdominis diftenfio ex multo flatu in illius capacitate conclufo, non tamen citra humoris permiftionem. *Hartmanno in Oper. omn. Difpp. Med. Chym. p. 104. §. 29.* eft abdominis ex plurimis flatibus in capacitate ejus conclufis

clusis extuberantia. Mihi arridet præsertim *Thomæ Willisii in Oper. omn. Tractat. de Medicam. Operation. p. 240.* tradita definitio aut descriptio: Quod sit tumor abdominis fixus, & constans, æquabilis, durus, renitens, & à pulsatione sonitum edens, à partium & viscerum membranaceorum inflatione τετανώδει ortus, propter spiritus animales in fibras istas copia nimia adactos, ibidemque succi nervei obstruentis vitio à recessu impeditos, cui affectioni consequenter flatuum in locis vacuis aggestio velut complementum accedit. Cui subjungo flatus non raro antecedentis causæ locum subire, & revera inflationem laudatam causari.

§. V.

Generis loco stat tumor, qui in genere est affectus p. n. quô partes humanæ machinæ præter solitum modum & ultra Euphoriam ampliantur atque extenduntur, ut exin lædatur actio adesse debita, vel destinatam operationem perficere nequeant. Cujus ratione affectus noster inter morbos partium organicarum in conformatione ratione quantitatis excedentis sive in magnitudine aucta est referendus, quoniam abdomen p. n. tumidum & auctum redditum est.

§. VI.

Subjectum sive pars affecta est abdomen, à quo & reliquis in definitione positis differentia specifica est desumta. Abdomen vero juxta Anatomicos; vid. *Bartholinum Anatom. Renovat. L. I. p. 14.* proprie constituunt partes infimum ventrem vestientes, seu continentes subdivisæ in communes, ut cuticulam, cutem, pinguedinem cum membrana, panniculum carnosum, & tunicam cuivis musculo propriam; & proprias, quales sunt musculi abdominis & peritonæum. Est adeoque morbus particularis, quoniam abdomen occupat, est externus ratione tumoris, internus verò audiri potest, si causam respexeris & originem.

§. VII.

§. VII.

De reliquo in reſpectu ad alios affectus p. n. eſt per eſſentiam ἰδιοπάθειαν, quando per ſe oboritur, nullis prægreſſis aliis morbis, vel per conſenſum συμπάθειαν, quando ab alio quocunque morbo vel ſymptomate præcedaneo ortum trahit. Paulo aliter quoque dicitur ſimplex, quando cum nullo alio morbo conjungitur, vel Compoſitus, ſi cum aliis v. gr. aſcite, Colica, inflatione ventriculi, paſſione iliaca evenit. Ratione temporis verò eſt vel fiens, qui fit & adhuc eſt in principio, primas radices mali ponens, vel factus, qui jam in vigore & ſatis manifeſtus eſt, unde etiam Chronicus & longus deprehenditur, nunquam brevis.

§. VIII.

Ratione qualitatis tumor in definitione dicitur eſſe fixus & conſtans, quia nimirum permanet & plus ultra potius intenditur, quàm ut remittat, neque facta compreſſione à digitis ulla fovea relinquitur, ſed reſilit ſtatim tumidum abdomen, & impreſſionem adactam removet, inſuper æquabilis eſt tumor laudatus undique expanſo abdomine, durus etiam & valde renitens, & à pulſatione ſonitum edens, id quod non poteſt non aëreis & æthereis fluidorum in corpore humano exiſtentium particulis, communiter ſpiritibus animalibus dictis, in cavo abdominis, vel intra peritonæum & membranas abdominis coacervatis adſcribi. Quod ipſum ut eò promptius una cum univerſa cauſarum hoc in ſtatu connexione deduci valeat, quædam adhuc perpendenda & præmittenda eſſe videbuntur.

§. IX.

Ante omnia & primò ſtatus partis affectæ naturalis eſt advertendus: In quo abdomen moveri deprehenditur non

à flatibus, sed potius immediate à fibris musculorum abdominis motricibus, quæ sunt minutissimarum fibrillarum sibi mutuo secundum longitudinem immediatè junctarum certa compages, cujus intermedia pars ab extremis differt consistentiâ, crassitie & colore, quæ secundum *Willisium* à nervis differunt officio, quoniam fibræ principalius ac immediatius quàm nervi exequuntur actus facultatum, motum & sensum, vid. *Bartholinum l. c.* Nimirum illæ musculos aliasque partes motivas contrahendo motum ipsum efficiunt, nervi tantum motus istius obeundi instinctum à cerebro deferunt: De reliquo verò ex fibris nervos quoque compositos esse, sicut & tendines, & non nisi pro vario compositionis modo differre credo. Ut verò illæ fibræ moveantur, requiritur aliquod impellens, subtile, mobile, ac elasticum, quod dilatationem & constrictionem musculorum, annexarumque partium instituere valet. Et hoc constituunt spiritus animales in antecedente §. laudati, primaria motus musculorum & motus ipsius abdominis quoque causa.

§. X.

Illustrationis ulterioris causa liceat *Secundo* varios abdominis motus sub latitudine sanitatis adhuc contentos expendere: Sic constat expandi atque extendi abdomen fiente inspiratione, ubi aër per asperam arteriam pulmones ingrediens pulmones extendit, diaphragma deorsum versus premit & hinc æthereo-aëreas spirituum particulas expandit, ut musculi abdominis inflentur ejusdemque partes distendantur, exspiratione verò facta abdomen rursus subsidat. Sic etiam voluntariè promota inspiratione simile quid fit, ut ex proæresi quoque abdomen in tantum expandere valeamus, ut ad tempus durum satis & valde renitens deprehendatur.

§. XI.

Tertio in sexu æque potiori ac sequiori in nonnullis subjectis

jectis abdomen satis tumidum, æquabiliter & constanter durum ac renitens cum euphoria observatur, in quibus nulla tormina, neque copiosiores flatus, quam in aliis fortean exoriuntur, & de reliquo bene se habent. Quod phœnomenon ex naturali vel sæpe congenita majori expansione & spirituum influxu copiosiori deduci amat. Quorsum spectant fœminæ quædam, quarum abdomen post enixum partum non penitus subsidet, sed satis expansum manet, manifesto indicio *elaterem* antea inductum spirituum subsistere, motumque adeo ad extra intensum servare.

§. XII.

Denique verò ad protheoriam causarum tympanitis eruendam, quædam ex *Willisio l. c.* hanc in rem excerpere integrum erit: Ille *a)* κατ' ἄξειν plerorumque Medicorum Autorum allatam causam, flatus esse negat: Quia cum prima ejus initia non advertantur, & hic affectus subito in immensum accrescat, adeo ut affecti vix prius se ægrotare sentiant, quin penè incurabiles sint, hinc improbabile videbitur, flatus intra abdominis cavitatem conclusos in eo loco tam subitò & copia tam ingenti produci, aut si producerentur tumorem adeo durum immobilem & constantem excitare posse. Dubitat etiam de morbi sede, ubi flatus concludi supponitur, & locum hunc in peritonæi concavo, atque ab intestinorum aliorumque imi ventris viscerum superficie convexa minus benè determinari asserit, quia tanta ventorum aggeries ibi vix colligi valeat. Confirmat hæc observationibus Plateri & Smetii, Autorum fide dignorum, se deprehendisse asserentium, in quibusdam, qui Tympanitici putabantur, post mortem sectis nullum flatum è ventris cavo erupisse, nec ventrem subsedisse, sed intestina, præsertim tenuiora, adeò flatibus distenta & convoluta prosiliisse, ut in eundem ventrem ampliùs reponi nequirent. Nec tamen hæc observatio sibi argumento est, ejus morbi causam intra

cavitates inteſtinorum ſubſiſtere, atque flatus ibidem aggeſtos, ſæpius aut potiſſimè ventris intumeſcentiam tympaniticam excitare, quoniam affectus à tali προφάσει oriundus non ita immobilis & frequenter incurabilis foret & opinatur hinc, non tam inteſtina à flatibus concluſis immaniter dilatari & extendi, verum illa ſæpè ſponte extumeſcentia, flatibus, quò ſpatia ampliata implerentur, conſequenter & ſecundariò producendis occaſionem præbere. De reliquo multò ſibi adhuc improbabilius videtur, flatus inter meſenterii & inteſtinorum tunicas progigni, quia cùm nulla ibi præexiſtat cavitas, flatus eas partes ita divellere & ab invicem ſeparare non valent, & quod certè tot tantæque continui ſolutiones abſque torminibus continuis & cruciatibus acerrimis fieri nequeant.

§. XIII.

Κατὰ θέσιν verò β.) Idem Autor perpendit, quot modis & quibus de cauſis evidentibus abdomen intumeſcere ſoleat: Et quatuor contentorum genera eſſe animadvertit, à quibus ventris imi ὄγκος in viventibus procedat: Solida, humida, flatus, & ſpiritus. *Primò* tumores viſcerum interni, ſcilicet ſcirrhoſi, ſtrumoſi, cancroſi, glanduloſi & quidam forſan alius generis, quando ad modum notabilem aſſurgunt, totum ventrem intumefaciunt, qui interdum aſcitæ, interdum tympanitis ſunt cauſa procatarctica, quibus deinde in utriusque morbi complementum cauſa alia conjuncta, ſcil. aquarum illuvies aut ſpirituum inordinatio accedit. *Secundò* humor aquoſus intra abdominis cavitatem aggeſtus, aut partibus ejus membranaceis vel glanduloſis impactus non raró aſcitem producit. *Tertiò* flatus intra coctionis viſcera à cruditate, dyſpepſia, aut humorum diſſimilium fermentatione excitati, non raró inteſtinorum cavitates inflant, atque ventris ὄγκον plerumque tamen brevem & tranſitorium producunt, ſed quoniam ſuccorum ζυμώσει ceſſante atque flatuum

eru-

eruptione procurata, subinde statim ventris detumescentia succedit, judicatur eam causam solitariam neque colicam neque tympanitem producere. *Quartò* verò datur adhuc alia subita, & quidem immanis ventris intumescentia, quam spiritus animales (non de nihilo ab Hippocrate ὁρμῶντες dicti) acciere videntur. Si quando enim hi fibras nerveas ad viscera imi ventris pertinentes ἀθρόως & inordinatè irruent, illico partes, quas hæ contexunt, plurimum inflari, distendi & quaqua versus extumescere facient. Supposito enim (quod alibi fusius exposuit) membranarum & viscerum concavorum extensiones φυσώδεις seu velut inflationes, à spirituum in fibras nerveas incursibus impetuosis exoriri, satis obvium erit concipere, etiam tympanitin à tali causa, sed fixiori in actu diutius aut perpetim existente produci. Et ulterius explicat tympanitem oriri, quatenus in imo ventre spiritus animales, ad viscera membranacea spectantes, ab incongruo quodam in ἀταξίας adacti fibras utique nerveas tumultuariè irruunt, inflantque, nec statim denuò ab iis recedunt: Hinc peritonæum extumescit, intestina ampliata & distenta velut inflantur, mesenterium aliaque viscera membranacea spiritu impetuoso turgida velut in molem attolluntur. Quod autem spiritus animales inordinatione sua partes inflent membranaceas adeoque affectus quasi φυσώδεις producant, idem demonstrat ex observatione anatomica per vivisectionem facta, in quantum scilicet truncus nervorum octavi paris per cervicem utrinque descendens, si excipiatur & filo ligetur, totus illicò ventriculus, tanquam à vento inflatus extumescit, quod certè secundum ipsum, & rectè quidem à nulla præterea causa procedere potest, quam quod spiritus fibrarum istius visceris insiti, aliique per ductus nerveos ingressi (quatenus à fonte suo præscissi in confusionem aguntur) partes illas tumultuariè subeunt inflantque. Non sine causa quoque refert exemplum Historiæ à Clarissimo Smetio citatæ, de Tympanite (uti appellat) universali in juvene quodam Leodiensi, qui cùm in conflictu sub axilla dextra vulnus

 pun-

punctim factum in pectoris cavitatem penetrans accepiſſet, poſtridiè toto corpore poſt unicam noctem manè turgidus apparebat, non ſolùm pectore, ſed & dorſo, ventre, lumbis, imò ſcroto quoque, præterea & brachiis, humeris, collo, vultuque, ut ne palpebras quidem deducere poſſet, quin etiam in vertice ipſo, cute ubique diſtenta & tumefacta, tumor ubique erat tenſus, & cum dolore non pauco. Cujus ſtupendi affectus cauſam procul dubio hanc eſſe benè arguit: In pectore nimirum propè axillas, magni & perquam inſignes extant nervorum plexus, per quos nervi totius corporis inter ſe communicant, videlicet truncus octavi paris, cum nervo intercoſtali, & utrique cum nervis ſpinæ dorſi, per ramos & propagines hinc inde miſſas conveniunt. Quapropter plexu iſto nerveo per gladii puncturam fortè transfixo, primò ſpiritus ibidem hoſpitantes irritati ἀταξίας ineunt, deinde conſenſu per nervos tot eximios ſtatim facta & quaqua verſum huc illuc transmiſſo, ſpiritus alii & ſubinde alii pares inordinationes concipiunt, atque membranas, fibrasque nerveas, quas ubique tumultuariè ſubeunt, inflantes, totius corporis affectionem tympaniticam inducunt.

§. XIV.

Ex quibus præmiſſis genuinè applicatis facilè erit ipſas cauſas veras è loculis ſuis jam deſignare. Cauſa nimirum proxima & immediata, eaque formalis Tympanitis eſt partium, & viſcerum membranaceorum inflatio τετανώδης, ſive expanſiva; materialis verò cauſa proximior ſunt ſpiritus animales in fibras iſtas copia nimia adacti, ibidemque ſucci nervei obſtruentis vitio, à regreſſu impediti. Sicuti enim vigore §. 9. 10. & 11. in ſtatu adhuc naturali motus abdominis à fibrarum illarum decenti inflatione ſpirituumque ordinato influxu & actione dependet, ita juxta §. 12. & 13. hic affectus p. n. ab inflatione excedente & majori, πρόφασιν & expanſionem τετανώδη cauſante, ſpiritibusque inordinatè

motis

motis & irritatis dependeat, necesse est. Ubi tamen haud levis oboriri videtur difficultas, quomodo hic tumor tympaniticus, qui fixus, permanens, plerumque immobilis est, à tali causa procedat, cùm tamen spiritus animales ex sua natura irrequieti & valdè mobiles sint, & lationem ferè semper affectent. Sæpiùs citatus *Willisius* optimè rem componere visitur, considerando succum nerveum, qui animalibus spiritibus ubique pro vehiculo, simulque pro retinaculo est, totam connexionem rei seqq. describens: Si quando igitur latex iste fibras harum partium nerveas irrigans, vel ex se tenax & viscidus fuerit vel iisdem fœculentias plures impingat, propterea quidem accidet, spiritus animales, si quando in has fibras quadantenus obstructas impetuosè adigantur, exindè non omnes facilè redire: Cumque ita sæpius plenior eorum incursus, & parcior reditus fiat, tandem eveniet, magnàs spirituum copias in fibras istas magis indies magisque impactas manere, easque distentas usque & plurimùm inflatas tenere, demumque propter ituum & redituum in fibris istis vias occlusas ibidem prorsus immobiles fieri, atque partes continentes semper extensas & rigidas servare. Accedit verò, quod ipsæ partes jam extensæ plus justò, talem adscititium p. n. situm & expansionem facilè retineant, nullum enim dubium est per hunc motum atque dilatationem fibras nerveas alium prorsus situm, texturam atque nexum concipere & facilè retinere.

§. XV.

Causam antecedentem quæro cum *Baglivo in Oper. Med. Pract. & Anatom. L. I. p. 81. de Hydrope sicco* in materia acri, salina, piperina, mordicante, fibras nerveas exiccante, crispante, convellente, ut hinc portentosum acquirant elaterem per aëreo-æthereo-spirituosas laudatas particulas sustentatum. Acidum præcipuè quoque nervis & spiritibus est inimicum, quod effervescentiam p. n. fluidis conciliando materiam visci-

viſcidam expandit, ipſosque flatus generat: Hi itaque ſuum ſymbolum non raro addere, & ſic non conſequenter ſolum, ſed antecedenter quoque certis caſibus concurrere valent. Illuſtrat hæc *Aphor. II. S. IV.* ſequentis tenoris; Quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus & lumborum dolor, qui neque medicamento neque aliter ſolvatur in ſiccum hydropem firmatur. Et Magnifici *Wedelii* locus huc pertinet *in Exercit. Semiotico-Pathol. de Hydrope p. 138.* quòd tumor in tympanite, vel à diſtenſione ſaltim oriundus, vel materia ejusdem flatibus eminens ſit: Sic *Timæus* von Güldenklee *in Med. Caſ. Pract. de Tympanite p. 142.* de Comitiſſa de Sclick recenſet, quod diuturna abdominis inflatione & diſtenſione affecta fuerit, præceſſerant rugitus & murmura in ventre, tormina circa umbilicum & lumborum dolor &c. Sic *Frambeſarius in loc. Cit. Conſult. III. de Tympanite* ait: Molem minorem quam in aſcite, & minus gravem, rugitu obmurmurantem, multaque flatus indicia extitiſſe. Patet hinc, ea, quæ Autores de flatibus commentantur, haud penitus eſſe rejicienda, ſed cum grano ſalis applicanda: Et ita puto etiam, ea, quæ à Williſio juxta §. 12. adducuntur, reſtringenda eſſe ad cauſam immediatam, flatus nimirum non eſſe unicam cauſam & principalem, ſed materialem & antecedentem.

§. XVI.

Inter cauſas remotas præcipuo loco ſtant præternaturales affectus ex multis cruditatibus, congeſtionibus & vulgo dictis obſtructionibus oborti. Quo ſpectant tumores viſcerum interni ſc. ſcirrhoſi, ſtrumoſi, cancroſi, glanduloſi &c. *vid.* §. 13. Huc inflatio ventriculi, tormina colica, paſſio iliaca & hyſterica, malum hypochondriacum, quorum morborum motibus frequenter excitari ſolitis, ſi demum abdominis tumor ab initio parvus ſuperveniat, illicò non raro tympanitis oboritur. De diatheſi hypochondriaca *Williſius l. c.* ſpeciatim ex *Scherichio* obſervationem refert: Virum ſexagenarium aliquot

quot menſes, antequam in manifeſtum tumorem attollebatur venter, hoc ſymptomate infeſtatum fuiſſe, quod quotiescunque aſſidens menſæ, cibum manducandum aggrederetur, item quando ſe ad ſomnum componens obdormiſcere inciperet, tanta corripiebatur anhelandi difficultate ut pro crebritate reſpirandi ſuffocationis periculum præ ſe ferret, quo tempore etiam percipiebat circa hypochondria palpitationem quandam, ac ſi præcordiis aliquid vivi animalis ſubeſſet, cujusmodi affectio poſtea ceſſit in tumorem abdominis, à quo interibat. Porro ſequuntur cauſæ non-naturales, vitia in ſex rebus non-naturalibus commiſſa, frigus ſubitaneum ab aëre aut aqua ventri illatum poſt incaleſcentiam cumprimis corporis nimiam, frigidus potus & copioſus ab ingenti æſtu ſumtus, ingurgitatio ciborum crudorum, indigeſtorum, flatulentorum, ſomnus excedens & quies nimia, evacuationes ſolennes ſuppreſſæ, pathemata animi immodica, mœroris præcipuè, quippe hæc omnia ventris inordinatum motum procurare, nimiæque expanſioni fibrarum anſam præbere valent.

§. XVII.

Ad diagnoſin hydropis præſentis inſtituendam conſilium obtinet *Galeni in Cap. 3. de dignoſc. pulſ.* quod nos oporteat abdomen tangere, percutere & ad latera convolvere: Si pulſu ſonitus audiatur, vel etiam durities percipiatur, eſt tympanites, & ſi percuſſo hydropici abdomine non audiantur ſonitus & tamen adſit durities, etiam tunc eſt tympanias ſed cum aſcite conjunctus. Secundum Hartmannum *l. c. §. 316.* tympanites cognoſcitur 1) ex tumore ventris, vel abdominis minori, quam aſcite, qui venter perculſus ſine fluctuationibus tympani ſonum edit. 2) Ex ventris levitate, qui quantumvis tumidus ſit, nullum aut quam minimum ponderis ſenſum præbet. 3) è ructibus, quibus emiſſis nul-

lum sentitur levamen 4) è dolore ventriculi & intestinorum præcipue cœci & coli circa umbilicum. 5) ex pulsu majori, crebriori ac subduro, quem Fernelius *l. c.p. 227.* vocat longum, celerem, crebrum & subdurum. 6) Urina rubra & intensa: Quæ tamen ultima signa prioribus substant & variari possunt.

§. XIIX.

Ratione prognoseos sententiæ quoque variant: *Baglivius* habet pro morbo acutissimo & difficillimo, citoque interimente, alvo & urina statim suppressis. *A Græcis* quoque Medicis aliisque pro periculosissima hydropis specie habetur, *Avicennas* ascitem tympanite periculosiorem esse contendit, sed *Frambesario l. c.* videtur *Avicennæ* sententia *Græcorum* autoritati præferenda, tum quòd ascites à majori frigore oriatur, quàm tympanites, tùm quòd aqua unde fit ascites crassior sit, quam vapor, qui tympanitem creat, nec tam facilem habeat exitum, sitque proinde solutu difficilior: tum quòd aqua diutius sub peritonæo conclusa tempore putrescat, ac putredine partes nutritioni dicatas contaminet, faciatque metastasin ad thoracem, unde tussis, mortis nuncia, faciesque magis à naturali habitu recedat, quam in tympanite. Secundum *Willisium* hic affectus per se rarò interficit, quin longo tempore protractus, quô demum certius jugulet, sibimet asciten lethi prænunciam adsciscit. Ego respiciendum esse puto vel maximè ad subjectum, naturæ robur, ad prægressa symptomata & evenientia quoque, quibus expensis facile erit majus vel minus periculum pro re nata exprimere.

§. XIX.

In cura felicius instituenda & absolvenda probè omnes

cir-

circumſtantiæ ſunt perpendendæ, à qua cauſa occaſionali ſive procatarctica ſingularis quidam caſus oboriatur, unde ſi ab affectu quocunque p. n. ortum ducat, remedia ex ejusdem affectus ordinaria curandi methodo ſunt deſumenda. Si conjunctus ſit aſcites, uno oculo ad hunc affectum, alio ad tympanitem eſt reſpiciendum, & hoc caſu magis tutò medicamenta purgantia adhibentur. In genere vero in tympanite ſeqq. indicationes obtinent, I) Cruditates obortæ, materia acris, piperina, mordicans, aut acidum quodcunque peccans temperanda ſunt & reſerandæ obſtructiones conjunctæ. II) Roborandus eſt Archæus, quo ordinato modo & motu ſpiritus influant, parteſque diſtentæ roborentur. III) Uti in univerſum varietas ſymptomatum eſt attendenda, quibus dato caſu ſeorſim deſtinata media eſſent oponenda, ita vel maximè primæ viæ ſunt reſpiciendæ, una cum reliquis excretionibus minus bene fientibus.

§. XX.

Sæpe à tertio ſcopo curationem inchoare tenemur, quando obſtructio alvina conjuncta, vel ſaburra humorum vitioſorum copioſa in primis viis adeſt, ubi in tympanite propria ſ. ſimplici fortiora purgantia ob irritationis & vellicationis majoris metum evitanda, lenientia verò & laxantia cum aperientibus & digeſtivis egregie conducunt. Huc pertinet vinum laxativum à *Greg. Horſtio in Lib. obſ. IV. C. XXX.* pro tympanitico præſcriptum, vel à *Williſio p. 242. l. c.* commendatum, quæ medicamina artis peritus optimè ordinare & variare novit. Conducit huc ſequens formula multis modis p. r. n. varianda: ℞. *rad. cichor. trifol. fibrin. helen. ana ℥iij. Hb. roſmarin. epat. nobil. ad mj. fl. fumar. cent. min. ſummit. abſinth. ana p. j. cort. cappar. ℥ij. fol. ſenn. Alex. S. ſt. ℥j. Rhabarb. el. ℥ß. ſem. aniſ. ℥j. coſt. ver. Schœnanth. ana ℥ß. Cryſtall. ♀. ℥iß. M. Conc. Cont. g. m. affunde vini boni non acidi ℔iij. vel IV. ſtent per*

diem

diem & noctem , dando ℥ij. vel. ℥iij. mane binis vicibus. Quod si vinum subjecto cuidam non videatur accomodatum, affusâ ▽a simp. font. decoctum fiat similem in usum adhibendum. Si patiens pilulis uti amet, addendus præsertim est ☿ dulcis ad fluxiles reddendos humores, & quo mitius agant reliqua addita purgantia, oleum aliquod destillatum additur: v. g. ℞. *extr. panchym. Croll. resin. scammon. ☿ dulc. ana gr. IIX. extr. Colocynth. gr. j. ☍ L. sassafras. anis. ana gr. j M. F. c. s. q. ess carm. l. a pilul. XV.* de quibus quinque circa noctem, & pro ratione operationis & virium ægroti altero die reliquæ sumendæ. Neque enemata hoc fine sunt de nihilo, quatenus alvum sine magna fibrarum irritatione subducunt: v. gr. ℞. *rad. helen. alth. fœnic. lilil. alb. ana ʒiij. Hb. Chamomill. c. tot. alth. ☿al. hyssop. saturej. cerefol. ana mß. fl. Chamom. Rom. Summit. aneth. ana p. ij. sem. 4. carm. ana ℈j. fœn. Græc. ʒij. Caric. pingu. n. vij. Conc. cont. gr. m. coqu. in s. q. ▽ simul. ℞. col. ℥x. vel. ℔j. elect. de bacc. laur. ʒj. lenitiv. ☍ rutac. aneth. ana ʒiij. ⊖ ♁ati ℈iv. vitell. ovor. n. j. M. F. l. a. Enema.* Quod si diaphoresis vel diuresis læsa fuerit, blanda diaphoretica, vel diuretica, primo cumprimis scopo simul tangenda proficua erunt.

§. XXI.

Primo verò huic scopo satisfaciunt. 1.) Alcalina acorem quemcunque absorbentia motumque fluidorum promoventia, visciditatem resolventia, & obstructiones reserantia, ut oculi ♋. Corall. rubr. ppt. Conchæ ppt. mater perl. ppt. marg. or. lap. 5. pretios. ♁ Diaph. S. & ♂at. bez. min. ♃le, ♂le, antihect. Poter. & Cinnabarina quoque, ♁ nativ. ♁ii, quatenus motum æquabilem spirituum simul respiciunt, egregii usus sunt. 2.) Nitrosa, & ♀ ea media, ♌ ⊖dulc. arcanum ♀ri, ♀us ⊕latus, resolutus, Magnes. alb. absorbendo laxans, MR antiscorb. arcanum duplicatum Myns. ⊖

♁ at.

♄at. TR ♀ S. & Comp. TRæ ♄ales, 3.) aromatica, sale vol. ☍so fœta, propterea que acidos humores temperantia, incidentia, aperientia, stomachica: Ut rad. galang. Zedoar. Carlin. meu, acor. ver. hb. menth. calaminth. meliss. major. fol. & bacc. laur. junip. sem. anethi, anis. fœnic. carvi. cumin. Cinamom. Caryophyll. arom. macis. N. M. Cort. citr. aurant. horumque spiritus & ☍ ætherea ♌ata. Species item diagalang. diacumin. diaspolit. Galen. aromaticæ rosatæ, caryophyllatæ, ess. Cort. aurant. Citri, lign. aloes. Zedoar. simpl. & Composit. Carminativæ, aqua Carm. Dorncreill. spir. Carm. Drawizii & aliorum. Ex quibus, aliisque pro re nata variandis formulæ fiant. e. gr. ℞. *MR. antiscorb.* ℥ij. *ess. Carm. lign. aloes. ana* ℥iß, ♎ ⦶ *dulc.* ℈j. *M. D. in Vitr.* *Item* ℞. *TR.* ♀ *Comp.* ℥ij. ☍ ♌ *citr. ver. l. Sassafras ana gt. iij. cinnamom gt. j. M. D. vel* ℞. ♄ ♂ *Cach. arcan. dupl. Mynf. p. absorb. Wed. ana* ʒj. ☍ ♌ *mac. gt. iij. M. F. pulv.* ℞. *Spec. diacalamenth. diacumin. rad. ari, croc.* ♂*t. aperitiv. bez. mineral. ana* ℈ij. ☍ *citr. ver. l. Sassafras. ana gt. ij. M. F. l. a. pulv. in 6. p. æqu. dividendus.* Quibus interponendum ⊙ fulminans, tanquam specificum ad gr. V. vel X. reliquis ppbus remiscendum.

§. XXII.

Nec minùs laudata medicamenta pro secundo scopo quoque militant roborando Archæum, quibus speciatim jungenda nervina & paregorica: Summit. aneth. flor. Chamom. Rom. melilot. Sambuc. Sem. lin. carvi. sal. comm. ✶cal. furfur. tritic. Castoreum, ejusque essent. Spir. ☍, pinguedo, Zibethum, Mitridat. ther. & suo loco quoque emplastra: ℞. *flor. Cham. Rom. meliss. samb. ana p. ij. summ. aneth. p. iij. sem. lin. carv. ana* ℥ij. *furfur. trit. mij. sal. comm.* ✶*cal. ana* ℥iß. ♁ *comm.* ʒj. *M. coqu. in* ▽ *font. & tepide linteaminibus intinctis,* ℞. ♎ *castor.* ℥ij. ☍ *ping. Castor. ana gt. ij. Zi-*

C 3 *beth.*

beth. gr. j M. quo abdomen ſemel in die inungendum. ℞. *empl. diacumin. bacc. laur. ana ℥iß.* ☍. *Carm. Mynſ.* ℈*j. petrol.* ʒ*ß. aneth. q. ſ. M. F. l. a Empl.* toti ventri per noctem applicando & renovando.


§. XXIII.

Quæ ſingularibus caſibus deſtinata ſunt, lubens prætereo, neque quomodo vitiis in ſex rebus non naturalibus commiſſis contraeundum ſit, pluribus expono, cum hoc perfacile è diæteticis mutuari & huc transferri poſſit, ſed ut temporis & inſtituti rationem habeam, toti huic diſſertationi impono deſideratum colophonem, reliqua ulterioribus laboribus qua publicis qua privatis conſervans.

Soli verò DEO ſit Laus, Honor & Gloria!

T A N T U M!





ALter, quod novi, TZSCHASCHELI, volvitur annus:
Ex quo, mortalem juſſus deponere vitam,
Frater, Pliſſiaci pars non ignobilis Hæmi,
Intuitu Jovæ fruitur, lætave quiete.
Reddidit exanimes gravis hæc jactura parentes.
Senſerunt triſtes longi tormenta doloris.
Aſſiduos tenus hac imo de corde petitos
Duxerunt gemitus, rumpentes pectora queſtu.
Ignea adhuc turgent immenſo lumina fletu:
Ora rigata madent: mœror ferus exedit oſſa.
Nunc vero ſplendet radians poſt nubila Phœbus;
Nunc lætos ſumunt vultus; nunc gaudia demum,
Quæ capiunt animo, geminatis plauſibus edunt:
Dum patrii ſolus Tu felix nominis hæres

Non

Non tantum ſuperas, non tantum veſceris aura:
Verum & honore novo mactaris, & ampla laborum,
Quos exantlaſti patienter, præmia ſumis.
Hincque Tuis lætus titulis applaudo, Tuisque
Tam laudabiliter finitis gratulor auſis.
Perge Tuos, ſicut ſveſti, ſacrare labores
Hygeæ: & Patri, Matrique ſubinde parabis
Gaudia, canentis mala mollitura ſenectæ.

Honoris ergo apponebat

HIERONYMUS Rudolff/
Phil. & Med. D.
Facult. Med. & Philoſ. Aſſeſſor Ordinarius, nec non Chymiæ & Mathematum P.P.

